

quæ jam tum Christiana, conjungebatur; eoque opportunior etiam tutiorque locus ad recipiendos Sacerdotes ex Hassia submissos ad culturam doctrinæ Christianæ. Nostrâ etiam memoriâ eruta istic arcis rudera, quæ olim Carolum & Sacerdotes intra præsidium Francorum receperit. Reperias scriptores, qui ex hoc loco primùm Heristallenses Episcopos nostros dixere; quòd istic Sturmio, Burchardus & Bernwelfus confederint; quemadmodum Carolus cum urbes in Saxonia non reperiret, in ejusmodi castris atque arcibus Episcopos cum Sacerdotibus collocare solebat. Hathumarum verò Heristalli Episcopi sedem aliquando fixisse non mihi persuaserim; quòd ab ingressu ejus in Episcopatum Westfalia à bellis quieta, & Paderborna satis tuta fuerit. Manet interim loci nomen non modò post tempora Caroli M. quod Francorum annales docent; sed & ad nostram usque ætatem patrio vocabulo Herstell ab his Caroli hybernis & statione castrorum appellatur; celebreq; non minus Heristallum Saxonicum, quàm Francicum ad Mosam ab his Caroli hybernis ad posteritatis memoriam. Castrum deinde totusque circum locus Episcopi Paderbornensis possessio, seu Caroli aliorumve Cæsarum donatione (quòd istic prima Sacrorum præsulum sedes fuerit) seu alio jure cessit. Sanè vetusta in monte Ecclesia, ad quàm subjecta ad pedem montis parochia convenit; ut totus hic profanus locus, haud secus quàm Eresburgum, in sacrum commutatus videri possit. Ab Hassis primùm anno 1465. festo D. Christinæ urbs Heristalli cum villa vastata & concremata. Nostra deinde memoriâ anno 1632. bello Suecico arx finibus illorum insidens ab Hassis incendio & vastatione subversa haud secus quàm Eresburgum; templumque in eo vetustissimum & celeberrimum cum domicilio religiosorum hominum, eadem belli tempestate, in cineres confedit. Vidimusq; duo illa Carolina sacrorum monumenta, omni antiquitatis & religionis veneratione digna, in unam simul ruinam incubuisse; dispari sanè Majorum posterorumq; studio. Olim ex Hassia primùm Christi religio, ut commonstravimus, in hanc diocesin introducta est; quæ nostrâ ætate dictæ religionis, & sacrorum mutationem intulit; tanquam quod barbari olim Saxones perpetrarunt in vastatione Frislariensis Basilicæ, sacrarumq; per Hassiam ædium & cœnobiorum, idem Christianis in Christianos liceret.

*Henr. de Hervordia. Chron. Mindense à Mesborno editum.*

## Annus Christi 798.

Leonis III Pont. 3.

Caroli M. Franc. Reg. 31.

Hathumari Pad. Ep. 4.

Exactis Heristalli hybernis, Carolus evocato (quem per Saxoniam diviserat) hybernante exercitu, secundo Visurgi per diocesin Pader-

Carolus Mindâ in Transalbianos movet.